



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

§. 7. Bonum Jucundum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)

vorem, hinc etiam res quælibet eatenus est Utilis, & verum est illud: *Deus & natura nil frustra, nil inutile fecerunt*, quod scholis adeo decantatum est.

Intelligitur ex dictis etiam quale medium intelligatur in definitione Utilis: cum enim medium totidem dicatur modis, quot Finis; aliudque proinde sit medium Operis, aliud Operantis (prout scilicet res vel ab Operante in certum Finem destinatur, vel naturâ suâ ad illum tendit & conducit) intelligitur, inquam, in definitione, medium Operis: nec ad Utile sufficit, quod sit medium Operantis: Operantes enim in Finem destinant sæpe media prorsus inutilia: ut qui oleum conjicit in ignem, putans oleum illud esse aquam: Medium hic est Operantis, ut restinguatur flamma, sed quia non est medium Operis, hinc inutile, non vero Utile vocatur.

§. 7. Bonum Jucundum.

Bonum Jucundum est, quod amamus amore passionis: ut valetudo, robur &c. quas res secundas præcedenti Tract. 2. vocavimus: ex quo patet Jucunditatem etiam circa honestatem, imo etiam Utilitatem versari; multa enim jucunda nobis sunt,

sunt, quia honesta multa, quia Utilia, & amor passionis cum omni vero amore (qui in proposito consistit) & jungi potest, & plerumque etiam jungitur.

Non requiritur igitur ad Bonum Jucundum verus aliquis amor, quo ipsum amplectamur: nam hi etiam summâ lætitiâ & Jucunditate affluunt, qui nullum propositum habent Jucunditatem illam sibi comparandi (quales sunt omnes boni) potest tamen verus aliquis amor circa Bonum Jucundum versari, sed is omnis amor concupiscentiæ est, quo Bonum aliquod tibi velis, & sic amatur ab omnibus malis.

Quia igitur boni nullo vero amore erga Bonum Jucundum ducuntur (nullum enim habent propositum illud sibi consequendi) hinc merito dicuntur delicias & voluptates, & generatim res secundas in Bonis non habere: mali vero quia jugiter propositum habent res secundas sibi comparandi, hinc merito dicuntur, solas voluptates in bonis habere.

Patet ex jam dictis, quod proprie Bonum Jucundum non sit Bonum, non amatur vero amore, sed tantum passionis, & per illum in esse suo constituitur: proinde sicut amor Passionis, non est proprie amor (ut Tract. 1. sub initium vidimus) sit Jucundum,

cundum, quod illo amatur, non est proprie Bonum: & licet ab improbis subinde vero amore ametur Bonum Jucundum, ne quidem tamen tunc proprie amatur, nec verus ille amor in ipsum proprie cadit, etiamsi enim improbi voluptates appetere dicantur, cum tamen voluptates seu res secundæ non sunt hic Finis Cui, sed tantum Cujus; ipsi vero Improbi Finis Cui sint, patet inde satis, Bonum Jucundum solum ut Utile ab illis amari (hoc vero non est proprie aut Bonum esse aut amari) ipsos verò verè & propriè à se ipsis amari. Quare verò abstineant homines tali phrasi, & cum amore concupiscentiæ feruntur, non dicant se ipsos se amare, cum tamen ipsi sint Finis Cui, sed potius amare se res secundas, quæ tantum sunt Finis Cujus, diximus aliquid in annotatis ad Tract. I. propè ab initio.

§. 8. *Bonum Honestum.*

Bonum Honestum est, quod amamus quia Ratio jubet: amamus, inquam, amore Obedientiæ: atque adeo non est aliud, quam quod parati sumus exsequi eo, quod Ratio jubeat. Ex quo etiam patet, Bonum Honestum constitui per talem